

De Apolline et Hyacintho ad modos Mozartianos cantantibus

Sunt qui credant saeculo praeterito Inguarum Stravinsky Carolumque Orff primos musicas fabulas¹ Latinas composuisse. Nam ille, ut notum est, *Oedipodem regem*, hic *Carmina Burana* et *Catulli carmina* egregiis modis² ornata theatri commendavit, quae tamen opera non nimium scaenicae actionis habent, ut odeis³ magis quam theatri apta esse videantur. Sed iam vetustissimus ille comoediarum scriptor, qui huic generi actionis maxime indulget, T. Maccius Plautus, dramata musica Latina paene invenisse credendus est. Nam is eas comoedias, quas Graeci ut Menandrus sic fecerant, ut sine modulatione pronuntiarentur, Latine vertendo eum in modum retractavit, ut maior pars versuum ad tibia⁴ cantanda esset. Quod et traditum est et e versibus ipsis elucet. Soli enim senarii sine modis dici solent, lyrici versus autem, tum septenarii ceteraque metra ampliora cantum tibiae desiderant. Ad quem elaborandum Plautus musicum adhibuit, cuius nomen erat Marcipor Oppii. Quam dolemus quod notae musicae⁵ ab hoc descriptae una cum omni musica Romana perierunt!

Quae post imperium Romanum dissolutum fabulae musicae fuerint

Atque e medio aevo traditae quidem sunt nobis tales notulae, quae neumata dicunt, sed vix quicquam eorum, quantum scio, ad dignitatem veri dramatis Latini adspirare videtur. Nisi fortasse huc pertinet Hildegardis Bingensis *Ordo Virtutum* (saec. XII), quem scaenice edere etiam nostro tempore quidam conati sunt. Ei autem qui post litteras renatas, cum tragoediam Graecam renovare se putarent, fabulas musicas plurimas composuerunt, omnes fere Italico sermoni dediti erant, qui nunc quoque in musica sic praevalent, ut quivis *presto* et *adagio* intellegat, nemo *rapide* dicat aut *tarde*. Latina lingua autem non illa quidem tum contempta iacebat, sed rebus sacris reservabatur. Neque Antonius Vivaldi, cum ad fabulam Latinam melodias componeret, Lucretiam aliquam sibi Romanam, sed Hebraeam heroinam, nempe *Iuditham triumphantem* (1716), elegit.

Tamen fuerunt in Germania, qui suis dramatibus more antiquo modos musicos adderent, non plurimos, aliquos tamen. Nam qui primus nostratium ad exemplar veterum comoediam scripsit, Iohannes Reuchlin *Hennonis* (1497) auctor, sine musicae ope diverbia⁶ trimetris absolvit, actibus⁷ singulis autem choros lyricos interposuit una cum modis satis lepidis (qui etiam servati sunt). Quem postea in scholis protestantium, ubi ars scaenica in pretio erat, plurimi poetae secuti sunt. Ei nonnumquam etiam singulis actoribus cantica tribuerunt. Poetas protestantes mox imitari coeperunt Iesuitae, qui ut nulli antea ad propagandam tam fidem quam humanitatem artibus scaenicis operam dederunt. Multae eorum fabulae, quas in usum scholarum destinabant, modorum plenae erant. Sed ad nos ex eis plerumque tantum libelli nudi et verba pervenerunt integra, notularum musicarum paucae, eheu, reliquiae.

De Mozarti fabula musica ex Ovidio sumpta

Plura superesse videntur e scholis Benedictinorum, qui hac quoque parte feliciter vestigia Iesuitarum presserunt. Sed quid multa enumerem, cum unum opus nobilitate omnia longe

¹ Sic appellare iuvat, quae Germanice *Opern* dicuntur. Quod nos *Drama* vocamus, saepe est fabula (saenica).

² Modi (musici) sive melodiae aut modulatio: *Musik*, *Vertonung*. Modorum compositor sive musurgus: *Komponist*.

³ Odeum: *Konzertsaal*.

⁴ Graece *aulos*, unicum instrumentum in scaena, similis fere nostrae *Oboe*.

⁵ Ut nos *Noten*.

⁶ Diverbia sunt, quae sine cantu proferuntur.

⁷ Fabulae in actus, actus in scaenas dividi solent.

superet? Nam quicumque in musicae historiam inquisivit, iam didicit Volfangum Amadeum Mozart nunc quoque celeberrimum vix undecim annos natum A.D. 1767 Iuvavi sive Salisburgii in gymnasio instruxisse fabulam scaenicam eum in modum, ut musicae partes non hic illic inspersione essent, sed totum drama continuum arte musica niteretur. Et quamquam id opus non per se constabat, sed quasi interludium erat, quod inter actus maioris tragoediae, quae *Clementia Croesi* vocabatur, intercineretur, tamen Mozartius puer id tam ingeniose fecit, ut nunc tragoediam ipsam nemo curet, fabulam musicam, quae tribus actibus fere horam unam et dimidiam durat, non solum Mozarti cultores, sed omnes musicae amici ut suavissimam venerentur.

Apollo et Hyacinthus – hoc nomine fabula, quae in manuscripto titulo caret, appellari solet. Nam argumentum⁸ sumptum est e *Metamorphosis* Ovidi, qui haec narrat (10,162-219): Apollo Hyacinthi pueri regii Spartani amator, dum una cum illo disco iaculando corpus exercet, infelici casu puerum parum caute sibi providentem sic invitus laedit, ut is moriatur. Unde in Ovidio haec narratio in flebilem querelam Apollinis amantis desinit, qui denique amici sui mortui corpus in florem eiusdem nominis, sc. *hyacinthum*, commutat. Quare haec fabula inter *aetiologias*⁹ numeratur. Saepe a pictoribus expressa est, nec tamen ante Mozartium aut postea in scaenam vocata. Ipsa enim natura huius fabulae tragicos poetas potius deterrebat, quippe quae nimis simplex videretur parumque haberet *peripetiarum*,¹⁰ quae spectatores devincirent. Accessit id, quod praesertim monachis Christianis molestum esse debebat, quod Apollo hic non puellas sectari, sed quasi contra naturam amore puerili deditus videbatur (quam Graeci ut nos *paederastian* vocabant¹¹). Ausus est tamen Rufinus Widl theologus et inter Benedictinos Iuvavenses Pater comicus¹², hanc ipsam materiam scaenae sic adaptare, ut Mozartius eam suis artibus illustrare posset.

*De Patre Rufino Widl libelli*¹³ auctore

Quo artificio id fecerit, explicabo. Ac primum quidem necesse erat argumentum illud nimis simplex augere et quasi locupletare. Auxilio hic venit Rufino Widl Palaephatus quidam, qui Graeca lingua *De incredibilibus* scripserat. Is enim, cum de Hyacintho ageret (46,1), negavit ab Apolline discum illum puero fatalem in ipsum iactum esse, sed ab alio Hyacinthi amatore, Zephyro Apollinis rivali, sic eum a recta via detorsum dixit, ut leti causa existeret. Nam cum is vidisset Hyacinthum amorem Apollinis pluris facere quam suum, tum, cum deum immortalem occidere nequiret, ipsum amicum ira et caeco mentis impetu necavisse. Palaephatum igitur et Lucianum (in *Dialogis deorum* 14) secutus Widlius Zephyri facinus primum eo auxit, quod discum letalem non declinari ab eo, sed, quod maius erat, conici in Hyacinthum fecit; deinde Zephyrus Widlianus hoc scelus scelere novo cumulat, cum Apollini innocenti falsum necis crimen adscribit. Unde et error nascitur et postea agnitio veritatis sive *anagnorisis*¹⁴, quae in fabulis scaenicis plurimum valent.

Amorem puerilem autem Widlius ex hoc argumento omnino tollere nec voluit nec potuit. Sed id genus amoris uni Zephyro nefario dedit, qui iam primis versibus se *ilia pectusque offerre* Hyacintho suo paratum esse dicit, quod certe mediocris amicitiae terminos excedit. Quos tamen Apollo caute diligenterque servat, ut in Hyacintho nusquam cupidi amatoris, semper

⁸ Graece *hypothesis*, Germanice *Handlung* sive *Inhalt*.

⁹ *Aetiologiam* Graeci dicunt historiam eam, qua alicuius rei causa (*aetia*) sive origo explicatur. Ut sunt plurima etiam in *Fastis* Ovidi.

¹⁰ *Peripetiam* Graeci conversionem actionis inexpectatam dicunt.

¹¹ Non idem atque is quem nos dicimus amorem virorum (sive *Homosexualität*). Nam *paederastia* non est inter pares: Semper amator adultus amat puerum sive ephebum.

¹² Hoc nomine appellabatur qui et fabulas scribebat et actores docebat.

¹³ Libellus: *Libretto*.

¹⁴ *Anagnorisis* solet coniungi cum *peripetia*, quod Aristoteles ut optimum laudat.

amici modesti munere fungatur. Sed deus amat! Atqui non puerum vel ephebum, sed castissime, ut decet, feminam. Est enim soror Hyacinthi, Oebali regis filia, Melia, puella formosa, quam deus ut primum vidit sic deperit, ut tota fabula in nuptias dei mulierisque desinat, quem nos exitum laetum, sive Anglice *happy end*, dicere solemus. Sed iam videamus, quomodo Widlio auctore fabula per singulos actus¹⁵ ducatur.

Quid singulis actibus agatur

I: Oebalo rege duce Apollini sacra fiunt. Quae de caelo sereno fulmine tacta turbantur. Inde ortum timorem Oebali, qui deos iratos putat, Hyacinthus filius longo cantico consopire conatur. Subito quasi per *epiphaniam* Apollo ipse adest pastoris speciem indutus Spartanisque rogat, ut se, cui Iuppiter irascatur, hospitio excipiant. Gaudentibus ceteris, sed mirantibus, Melia una veram pulchritudinem dei agnoscit. Deus autem sua sponte amicitiae foedus Hyacintho offert. Invidet novo aemulo Zephyrus. [Iam omnium rerum gerendarum semina iacta videmus: amoris, irae, amicitiae ...]

II: Oebalus Meliae laetum nuntium aperit: Apollinem eam sibi in matrimonium poposcisse. Illa gaudio exultat: se inter deos immortales receptam credit. [Iam omnia ad laetum eventum spectare videntur, sed adest *peripetia*:] Tristissimum nuntium affert Zephyrus: Hyacinthum disci vulnere mori vere dicit, mentitur autem eum ab Apolline vulneratum esse, quod vir pessimus ipse fecit. Oebalus credulus, ut filium saltem morientem amplectatur, abit. Zephyrus autem, ne parum sceleris ausus sit, Meliam, quam dudum amavit, blanditiis ambit, ut sibi, non deo nefasto nubat. [Hoc loco Widlius paulum peccavit, quod ex Hyacinthi amatore tam ex improvise Meliae procum fecit. Ingeniose autem tum novus error errori superimponitur:] Adest Apollo ultor, qui iratus Zephyrum in ventum commutat [ut prima sit *aetiologia*]. Melia autem ultionem ipsam novum scelus sponsi sui rata indignatur deumque e regno exire iubet.

III. Scaenae mutatio fit: Hyacinthus in amplexu patris animam exspirans veritatem patefacit: Zephyrum non Apollinem necis auctorem esse. Unde Oebali animus furore et dolore misere discruciat. Melia autem cum ad eum accessit et cognovit innocentem esse deum, quem eiecerit, ambo iram Apollinis timentes de salute regni desperant. Sed tum Apollo, qui clam se abdidit, praeter spem redit, amore, ut dicit, Hyacinthi commotus. Eius enim corpus exanime in florem convertit [ut sit altera *aetiologia*]. Tum Oebalum filiamque, ut promissa servent, admonet. Nuptiae igitur instant, omnesque laetantur exultantesque gaudent, quod *post turbida fulmina pax alma* successerit.

De diversitate affectuum a Mozartio expressa

Atque hunc finem dramatis forsitan quispiam reprehendat. Nam quomodo credamus Oebalum Meliamque tam cito oblivisci Hyacinthi crudelissima morte defuncti, ut nunc in mera gaudia sese effundant? Sed non in eo uno virtus posita est poetae, ut veri simile in personis actionibusque servet, sed is maxime, qui scaenae musicae scribit, curare debet, ut varietas affectuum praesto sit, quae modos varios sibi exposcat. Id autem Widlius egregie fecit. Primo actu post cantum chori religiosum et temperatum e subito fulmine existit maximus timor, quem Hyacinthus ficta laetitia cantici sedare conatur – dum dei adventu improvise tranquilla quies reddita videtur. Etiam magis contraria inter se sunt, quae in secundo actu fiunt. Nimia est illa laetitia, qua Melia exultim se iam ut dei uxorem *per astra vagari et nubes calcare* superba credit modis Mozartiantis ad aethera sublevata. Tum mente quasi de caelo decedit, cum tremendus nuntius de nece fratris allatus est. Sequitur autem cantus admirabilis, ex amore vero blanditiisque mendacibus commixtus, quo Zephyrus malitiosus Meliam sibi conciliare

¹⁵ Sic nos dicere solemus, Widlius ad imitationem veterum primam partem *prologum*, secundam et tertiam *choros* nominat.

conatur. Item et amorem et abominationem habet sequens bicinium¹⁶ Apollinis et Meliae. Quae omnia tam varia interque se distantia effingere potuisse Mozartium puellum non crederemus, nisi fecisset.

Tum autem quid maestius quam in tertio actu ea scaena qua pater morienti filio ultimum vale dicit? Vbi Wolfgang Amadeus (ut iam antea) amorem suum in Leopoldum genitorem modis exprimit. Post haec *ethica* sequitur *pathos*¹⁷ maximum in furentis Oebali cantilena. Dulcissimum autem omnium est Oebali Meliaeque canticum commune, quo et mortem fratris et fugam Apollinis deplorant:

Natus cadit atque deus	me nolente, nesciente, laesus abit.
Regnum sine numine	iam non diu stabit:
Numen! quaeso flectere	et ad nos revertere!

Hic te iam auscultare aliquid putaveris e modis *Domini Ioannis* aut *Calami magici*¹⁸, quae Mozartius olim compositurus erat.

Et quis neget Latinam linguam fabulis musicis aptam esse! Quamquam Rufinus Widl more saeculi sui non ausus est metrica cantica scribere, sed ad imitationem Italicorum *rhythmos*¹⁹ adhibuit, quos *homoeoteleutis*²⁰ ornavit (ut supra: *nolente nesciente – abit stabit ...*). In versibus recitativis autem qui dicuntur²¹ veros trimetros edidit, ut, si legas, paene in Senecae tragoedia te versari opineris – nisi Mozartius numeris musicis omnem hanc artem poetae disturbavisset. Neglexit enim syllabarum quantitates, ut accentibus obsecutus acutas produceret, graves corripere synaloepharum nullo respectu habito. Neque id tamen vitium putandum est, sed, si aliter fecisset, gravius peccavisset. Sic enim tum in scholis Benedictorum omnes pronuntiabant.

Laudemus igitur hos Benedicti asseclas, quod Widlio et Mozartio occasionem dederunt operis Latini conficiendi, cui nihil fere simile in Austria et Germania reperiatur.

Libri:

Alfred Orel: *Neue Mozart Ausgabe* II 5, vol. 3: *Apollo und Hyacinth*, Cassulae et al. 1959, p. VII-XXII

Heiner Boberski: *Das Theater der Benediktiner an der alten Universität Salzburg (1617-1778)*, Vindobonae 1978

Gerhard Petersmann; „,Sic saecula te futura clementem sonent‘: Pater Rufin Widls ‚Clementia Croesi‘ und Wolfgang Amadeus Mozarts ‚Apollo et Hyacinthus‘ – Text und Kontext, in: G. Petersmann / V. Oberparleiter (Hg.), *The role of Latin in early modern Europe*, Graetiae / Salisburgii 2005, 121-131

Thomas Lederer: „The Clemency of Rufinus Widl: Text and context of W. A. Mozart’s first opera“, *Humanistica Lovaniensia* 58, 2009, 217-373

Bernd Edelmann / Wilfried Stroh et al.: *Apollo et Hyacinthus*, Monachii s.a. [2011] (cum editione libelli et versione Germanica)

¹⁶ Bicinium: *Duett*.

¹⁷ Mitiores affectus *ethici* a rhetoribus dicuntur, vehementiores *pathetici*.

¹⁸ Vulgo *Don Giovanni* et *Die Zauberflöte*.

¹⁹ In versibus *rhythmicis* dimensiones syllabarum contemnuntur.

²⁰ *Homoeoteleuton* i.q. *Reim*.

²¹ *Recitativi* versus non plene cantantur, sed sine symphonicis ad continuandam actionem celerius edi solent.